

tellexisse. At secus habet, re accuratiùs
 perpenſa. Non rarò enim plus in cõpo-
 nendi modo, quàm in materia ſeligen-
 da, ſelecta que dignoſcenda poſitum eſt
 momenti: vt niſi ipſe componere ſciat
 Medicus, libro præſcriptionum deper-
 dito, omnem quoque ſciētiam ſit amiſ-
 ſurus. An autem iſ ſcitè componet, qui
 modum compositionis nunquam ex-
 ercuit? quandoquidem ſecūdum Hip-
 pocratem πείρα χερσὶν κάλλιστον διδραſκα-
 λείον. Ioannes, Meſuæ filius, qui genus
 ſuum in Abdelam regem Damafci re-
 fert, Medicus fuit, quem tamē pharma-
 copœorum euangeliftam, modò non
 deum appellari Volaterranus annotat. *Lib. 34.*
 Sed audiatur Plinius, qui de metallicis *cap. 11.*
 nonnullis locutus, ſubiungit: Atq; hæc
 omnia Medici, quod pace ipſorum di-
 xiſſe liceat, ignorant, pars maior & no-
 minibus, in tantum à conficiendis me-
 dicaminibus abſunt, quod eſſe propriū
 medicinæ ſolebat. Nunc quoties inci-
 dēre in libellos, componere ex his vo-
 lentes aliqua, hoc eſt, impendio miſe-
 rorum experiri commentaria, credunt
 ſeplafix, ea omnibus quidem fraudi-

P 3 bus